

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica quinquagesimae

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

portabimus: sed verbum, quod locuti sumus, & non fecimus, judicabit nos in die novissimo, Joh. 12. v. 48.

Reperiuntur homines, qui leviter de Christianismo sentiunt, & omne punctum se tulisse putant, modo verbum Dei audiunt, sacra Synaxi utantur, & externo cultui vacent. Verum periculosa hæc est persuasio: quæ multos in exitium præcipitavit. Ejusmodi homines procul sunt à Regno cælorum, nec didicerunt, quid fides sit? quomodo ergo salvabuntur, si quidem sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. 11. vers. 6.

Fœminis superbientibus familiare est, ut duo specula adhibeant, alterum à fronte

ponunt, alterum à tergo, ut utrobique factu suo se oblectent.

Nostrum quoque est, in hoc speculo nos contemplari, & à frontispicio & à tergo, ut peccata commissa lachrymis deleamus, nec minus vitam nostram ad regulam mandatorum Dei componamus: qui enim habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me, inquit Servator, Joh. 14. vers. 21. Sic aliquando eum in locum venimus, ubi hujus speculi in ænigmate non amplius indigebimus, sed videbimus Deum à facie ad faciem, in tanta gloria & lætitia, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Largiatur id nobis Jesus Christus, Amen.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Evangelium Luc. 18. v. 31. - 43.

EXORDIUM.

Sponsa spiritualis, quæ est Ecclesia, & quævis fidelis anima, ita de Sponso suo ait: Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, Can. 1. v. 13.

Hæc allegorica descriptio est, ubi tria notanda:

I. *Dilecti cum Myrrha collatio*, ait enim: Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi. Per hunc Dilectum, nemo alius denotatur, quàm Christus cælestis Sponsus, & optimus & constantissimus amicus noster, qui dilexit suos ab initio in finem, Joh. 13. 1. c. 14. 14.

Quod vero cum Myrrha confertur, quæ & fasciculus Myrrhæ appellatur, hoc ipso potissimùm Sponsa Christi temp^o quadragesimale respicit, ubi in Ecclesia de passione & morte huj^o Amici sui frequenter agitur. Quemadmodum enim Myrrha amara est, & tamen gratum odorem spargit, quin & ad vulnera medicina utiliter adhibetur: Ita etiam Servatori nostro passio sua non dulcis & jucunda, sed amara & dolorifica fuit, unde ipse ait: Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuidisti mihi laborem, in iniquitatibus tuis, Esa. 43. 24. Verum hoc ipso odor suavitatis

vitatis non modò ad Deum ascendit, ad eum expiandum, Ephes. 5. v. 2. sed & voce Evangelii dispersus est in toto mundo, ita ut ubique innotuerit nomen Domini, quod velut odor optimorum oleorum corda fidelium replet, Cant. 1. v. 3. ut quasi virtutem mutant, Esa. 40. v. 31. & odore illi vitæ reficiantur ad vitam æternam, 2. Cor. 2. v. 16.

2. *Myrrha in fasciculum colligatio.* Sicuti enim cœlestis Sponsus cap. 5. v. 1. hujus Cantici ait: Messui Myrrham meam; hoc ipsum spiritualis Christi Sponsa approbat, inquit: Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi q. d. ex messis illis Myrrhis fasciculum faciam. Quod fit, quando omnia, quæ Christus in diebus carnis, propter nos fecit & sustinuit, colligimus, & devotè consideramus, nempe incarnationem, passionem, mortem, resurrectionem, & in cælo ascensionem &c.

3. *Fasciculi hujus inter ubera collocatio:* addit enim Sponsa: Inter ubera mea commemorabitur, q. d. cordi meo innatus est, ut nequeam ejus oblivisci. Quemadmodum de medio uberum auferre, idem est, ac abolere, ac dimittere, Es. 2. v. 2. Ita per hanc phrasin, perpetua recordatio, quæ passioni Christi impenditur, denotatur, & fit

1. *Per intimam dilectionem.* Si quid in pectore portamus, id ipsum nos diligere hoc ipso profitemur. Sicut Johannes recubuit super pectus Jesu, quia dilexit eum, Joh. 21. v. 22. sic diligamus nos Christum, quoniam prior dilexit nos, 1. Joh. 4. v. 19.

2. *Per fidei applicationem.* Non sufficit, ut in genere sciamus, Christum mortuum esse & resurrexisse: sed quilibet sibi id in indi-

viduo applicet, necesse est, dicens: Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Gal. 2. v. 20.

3. *Per quotidianam meditationem.* Quod inter ubera portamus, ejus semper recordamur. Ita semper passionis Dominicæ recordemur, ut per illam non modò peccatis abstrahamur: sed & ad pietatem excitemur, & in virtute ejus Diabolo resistamus, quo sine & sacra Cœna à Christo instituta est, ut ejus occasione mortem Domini semper annunciemus, 1. Cor. 11. v. 26.

Quia igitur Servator ipse de passione sua prædicare incipit, & eo ad salutarem passionis suæ meditationem nos excitat, ideo nos hoc ipso initium facturi considerabimus pro instituti ratione,

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegetis.

Quodiana Christiani lectio, sit Dominicæ passionis meditatio, inquit devotus Bernhardus. Quod si enim quis gratiam fidei suæ oblivisci non debet: quia dedit animam suam pro eo, Sir. 29. v. 20. Quanto magis officii nostri erit, ut quotidie in memoriam nobis revocemus, immeritum illud beneficium Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum, peculiarem zelotem bonorum operum, Tit. 2. v. 14.

Hæc de re Christus Discipulis suis concionatur, ubi ultimo itineri Hierosolymitano

tano se accinxit. Ecce, inquit, adscendimus Hierosolimam, & consummabuntur omnia &c.

Querela exhibet

I. *Crudelissimam Christi tractationem.* Traditus enim est gentibus, qui ipsum illuserunt, contumeliis affecerunt, conspuerunt, flagellarunt, & occiderunt. Hinc Esaias: Verè languores nostros ipse tulit, Esa. 53. v. 4.

Veros Christianos non melior fortuna manet: vivunt enim in hoc mundo, ut oves in medio luporum, Matth. 10. v. 16. ut lilium inter spinas, Cant. 2. v. 2. ut Daniel inter leones, Dan. 6. v. 16. ut Ezechiel inter scorpiones, Ezech. 2. v. 6. sunt purgamenta hujus mundi, omnium peripsoma, 1. Cor. 4. v. 13. ludibria & verbera experiri coguntur, insuper & vincula, & carceres, Hebr. 11. v. 36. Stephanus lapidatus, Paulus & Jacobus gladio percussi, Petrus & Andreas crucifixi, alii alia Martyria subierunt, & sanguine suo doctrinam Evangelii consignarunt. Verùm omnia minoris æstimatione sunt, respectu passionis Christi, in quo cælestis Pater posuit iniquitatem omnium nostrum, Esa. 53. v. 6. Cum tamen ex parte suâ esset sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus Hebr. 7. v. 26. Apostoli verò fuerunt peccatores, innocentes quidem coram mundo, sed non coram Deo. Propterea quoque passione suâ nihil nobis promereri potuerunt, quod Christi solius beneficium est. Hinc ait: Calcavi torcular solus, Esa. 63. v. 3. unde quoque unicus Mediator Dei & hominum insignitur, 1. Tim. 2. v. 5.

Dum verò Christus tantam ignominiam, tantos dolores, & mortem adeo

acerbissimam perpessus est: id ipsum ad patientiam nos exstimulet, ne murmuremus, si stigmata Domini Jesu in corpore nostro portare cogimur, Gal. 6. v. 16. Nam omnes, qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12. Qui suscipit pacem Salvatoris, inimicitiam mundi contrahit.

Regnum Christi est quidem in hoc mundo, sed non de hoc mundo, Joh. 18. v. 36. est Regnum lucis, Col. 1. v. 12. 13. sed & Regnum crucis, Matth. 16. v. 24. est Regnum honoris, sed & Regnum doloris, 2. Tim. 2. v. 11. est Regnum pacis, Esa. 9. v. 6. sed & Regnum tribulationis, quod Pater cælestis nobis disposuit, sicut disposuit Filio suo, Luc. 22. v. 29.

Dicitur in trito versiculo:

Ut tua prudenter portes mala, & sapienter,

Inspice Majores, aliorum sæpè dolores. Hi non longè arcessendi sunt. Christus caput nostrum, ipse nobis in exemplum prostat, cujus tota vita, nil nisi crux fuit & Martyrium, ut Cyprianus loquitur. Qui nos meliorem sortem exoptaremus? O Dilecti! servus non major est Domino suo, Joh. 15. v. 20. Beatus verò vir, qui suffert tentationem, Jac. 1. v. 12.

II. *Apostolorum hallucinationem*, quam Evangelista triplici repetitione exaggerat, inquiens: Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.

Christus adeo perspicuè de passione, morte & resurrectione suâ locutus fuerat, ut vel puer septennis intelligere potuisset, at tamen mera ænigmata illis sunt, ut non capiant, quid dicat.

Idem

Idem nobis quoque evenit, Inveniuntur inter nos quoque qui decem, viginti, triginta annos, plus vel minus Templum frequentarunt, & plures conciones de omnibus fidei articulis audiverunt, quos verò si interrogas, non dubium est, quin cum Apostolis in eodem luto ignorantie hæreant. Naturâ enim multò cœciores sumus, quàm Bartimæus, de quo Evangelista h. l. memorat, quod secus viam sederit. Id quod & Paulus de irrogenitis Ethnicis asserit, Eph. 4. v. 18.

Nicodemus Princeps Phariseorum erat, & tamen de spirituali regeneratione nihil norat, Joh. 3. v. 10.

Eunuchus Regina Candaces prudentissimus erat Politicus, nec tamen verba Esaiæ c. 53. v. 4. nisi à Philippo instructus, intelligebat, Act. 8. v. 34.

Athenis multi acuti erant Philosophi, verùm concionem de Christo crucifixo, & de resurrectione mortuorum, habebant pro *αρημελογία*, Act. 17. v. 18. 32. Quinimò Festus eò procedebat ut diceret: Paule infanis, Act. 26. v. 24.

Adhuc hodie nasutuli ejusmodi occurrunt inter nos, qui putant, se aliquid esse, qui tamen indigent, ut doceantur, quæ sunt elementa exordii sermonum Dei, sicut infantes, qui lacte indigent, non solido cibo, Hebr. 5. v. 12. Idèò Deus orandus est nobis, ut aperiat nobis cor, sicut Lydia, Act. 16. v. 14. aliàs sunt & manent nobis verba Scripturæ, sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, & dicet: lege istum, & respondebit: Non possum, signatus est enim, Esa. 29. 11. Christus verò aperire hunc librû, & signacula ejus solvere

potest, Apoc. 5. v. 5. Quando igitur nobis sensum aperit, ut discipulis suis, Luc. 24. v. 45. invenimus in eo occultam sapientiam, quæ in eo abscondita est, Psal. 51. v. 8. habemusque tale verbum, quod corda nostra illuminare, Psal. 19. v. 9. & animas nostras salvare potest, Jac. 1. v. 21.

Intereâ verò non abjiciamus animum, licet non omnia sciamus, sed in multis in clarissimâ Evangelii luce adhuc titubemus.

Apostoli diu scholam Christi frequentarant, & verba vitæ ex ore ejus dulcissimo hauserant, attamen adeò rudes sunt, ut nihil eorum intelligant, quæ ipsis Servator de Passione suâ prædicat. Sicut autem illos proptereâ non abjecit, sed æquo animo imbecillitatem eorum tulit: sic nos solatio hoc sustentemus nos, quod hic per fidem ambulemus, non per speciem, 2. Corinth. 5. v. 7.

Intereâ sicut Christus à Patre suo, inter alia quoque nobis factus est sapientia, 1. Cor. 1. v. 30. sic ab eo petere possumus, quod nobis deest, de plenitudine ejus accipientes gratiam, pro gratia, Joh. 1. v. 16.

III. *Affectatam mendicationem.* Hic refertur, cæcum Bartimæum secus viam sedisse, & mendicasse. Id quod ipsi vitio non vertendum, quia velut cæcus, victum acquirere sibi ipsi non potuit. Quo tamen exemplo minimè excusabant se illi, qui sani & robusti, ex labore manuum se sustentare possunt. Nam si quis operari potest, & non vult, nec manducet, 2. Thess. 3. v. 10.

In V. T. ordinat Deus, ut mendicus omninò nullus inter Israelitas esset, Dent. 15. v. 4. vi cujus præcepti adhuc hodie Judæi

Judæi pauperes suos alunt. Tempore Christi hæc ordinatio, ut tota lex Mosaica, fermento Pharisaorum, adeò labefacta erat, ut nullibi non mendicantes offenderentur. Lazarus jacebat ad januam divitis, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis: & nemo illi dabat, Luc. 16. v. 20. Cæcus quoque à Nativitate sedebat, & mendicabat, Joh. 9. v. 8. sic & claudus ad portam Templi petebat eleemosynam ab introeuntibus in Templum, Act. 3. v. 2. Id mandato divino consentaneum non fuit.

Licet autem nos hodiè legibus illis Cereimonialibus adstricti non sumus, attamen quantum fieri potest, publicæ mendicationi obicem ponamus. Ubi enim multi mendici sunt, inquit Plato, ibi sunt fures, manticularii, latrones, sacrilegi, & ejus farinae homines plurimi. Propterea non modò in Conciliis, sed & in Imperii Recessibus cautum est, ne robustis mendicis indulgeatur. Concilium Turfense ætate Pelagii I. habitum Can. V. ita decernit: Unaquæque civitas pauperes egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, quo fiet, ut ipsi pauperes per civitates alienas non fatigentur. Idem constitutum est in Concilio Arelatensi jussu Caroli M. A. C. 813. habito, Can. 48. Ejusdem Imperatoris piisca Constitutio ita habet: Mendici per regionem vagari non permittantur, suos quæque civitas pauperes alito. Illis, nisi manibus operentur, minus quicquam dato.

Id ipsum Recessus Imperii, Augustæ Vindelicorum anno 1530. promulgatus jubet. Sicut igitur mendicis vitio corporis laborantibus, & senio confectis suc-

currere ipsa Christiana caritas jubet: ita contra sani & robusti ad labores telegandi sunt. Vide Sir. 12. v. 4. seqq.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
 1. *Ex dignitate patientis.* Hic non est nudus homo, sed Gigas geminæ substantiæ, Gott von Art und Mensch ein Held. Verus Deus à Patre ab æterno genitus, & verus homo ex Maria in tempora natus. Hic totus Christus pro nobis passus, sanguinem suum profudit, at non juxta divinam, sed humanam naturam. Intereâ hoc certum est, quemadmodum humana natura in subsistentiâ æterni Filii Dei consistit, ejusque propria natura facta est, in quâ tota divinitatis plenitudo habitat corporaliter, Col. 2. v. 9. ita etiam passiones humanæ naturæ ita sibi appropriavit, ut verè dicere possimus: DEUS acquisivit sibi Ecclesiam proprio sanguine, Act. 20. v. 28.

Id quod observandum est, contra veteres & novos Nestorianos, qui concedere nolunt, totam personam Christi, quæ est *sedis Spirtus*, pro nobis passam & mortuam: hinc vox Nestorii: Noli gloriari Judæe, non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Verùm hoc ipso efficacia Passionis Christi enervatur & instingitur. Quod si enim sola humana natura pro peccatis nostris satisfacere potuisset: non opus fuisset, æternum Dei Filium hominem factum. Perstat igitur Canon hic Concilii Ephesini: Si quis non confitetur, Verbum Dei passum carne, & crucifixum carne, & mortè carne subisse, anathema sit.

Nobis

Nobis verò Christum prout se manifestavit, agnoscensibus, firmum hoc solatium affert. Quod si enim sanguine Christi redempti, pretio emti sumus magno, 1. Cor. 6. vers. 20. Quare non dubitemus de redemptionis

1. *Firmitate.* Quilibet tuetur id, quod peculiariter acquisivit sibi, & si viribus & potestate pollet, non facillè id sibi eripi sinit. Id vestrum quoque solatium esto! Christus emit vos, non corruptibili auro & argento, sed sanguine suo pretioso populum peculiarem, Tit. 2. v. 14. Nec vires ei desunt. Data enim ei omnis potestas est in cælo & in terrâ, Matth. 28. v. 18. propterea nos quoque velut peculium suum defendet, contrâ omnes portas inferorum, Matth. 16. v. 18. Joh. 10. v. 28. seqq.

2. *Veritate.* Est enim, qui nos redemit, *Θεὸς ὁ πατὴρ*. Nudus enim homo pati quidem & mori, non verò satisfacere potuisset, neque pro seipso, multò minus pro aliis, nedum pro toto mundo. Idcirco æternus Dei Filius, in assumptâ carne, opus redemptionis exantlavit.

II. *Ex gloriâ resurgentis.* Die tertiâ, inquit Dominus, resurget. Id quod & verè ita factum est. Die enim Parasceves, nondum die finito sepultus est, sequenti Sabbatho in sepulchro quievit, & die sequenti resurrexit. Hoc triduum Christus in sepulchro quiescere, nec citius resurgere voluit, quo verè se mortuum ostenderet. Et si enim primo die resurrexisset, hostes ejus prætereundum potuissent, quod non verè mortuus fuisset. Quod si vero ultra triduum in sepulchro commoratus fuisset, iterum regerere potuissent, impossibile ei fuisse, resurgere, maximè, quia tertio die

se resurrectionem, receperat, Johan. 2. v. 19. Id quod & re ipsa præstitit, nobisque acquisivit, ut si cum ipso varias afflictiones sustineamus, non modò in sepulchro securè quiescamus, sed & suo tempore ad vitam æternam resurgamus: Quoniam scimus, quod qui Jesum resuscitavit, & nos aliquando resuscitaturus sit per Jesum, 2. Cor. 4. v. 14. unde etiam primogenitus ex mortuis dicitur, Col. 1. v. 16.

Hoc solatium probè observemus

1. *Contra mortis rigorem.* Denn so derjenige / verba sunt Lutheri, der da heisst Resurrexit, im Grab und Tod nicht geblieben ist / so wird auch derjenige / der da sagt Credo, und ihm durch wahren Glauben anhangt / zu seiner Zeit hernach folgen. Quod solatium nostrum sit, si aut ipsi discedere, aut conjunctissimos nobis per mortem relinquere cogimur. Die novissimo omnes conveniemus vicissim, unde & dies restitutionis omnium, ille dicitur, Act. 3. v. 21.

2. *Contra sepulchrorum fætores.* Christus enim tanquam Sanctus Sanctorum, Dan. 9. v. 24. corruptionem non vidit, Psal. 16. v. 10. & eo acquisivit nobis, quod & nos aliquando incorruptibiles è tumulis nostris prodituri simus, 1. Corinth. 15. v. 42. seqq.

3. *Contra conscientie tremorem,* quam Christus resurrectione suâ pacavit. Mors enim stipendium peccati est, Rom. 6. v. 23. Quia igitur Christus peccata nostra in se suscepit, mortem quoque sustinere debuit, quam peccatis nostris promerueramus. Hæc duo se invicem consequuntur. Per unius hominis inobedientiam, peccatum in mundum intravit, & per peccatum

† mors;

mors; & ita in omnes homines mors pertransit, quandoquidem omnes peccaverunt, Rom. 5. v. 12. Postquam verò Christus ex mortuis resurrexit, inde certò colligimus, omnia peccata nostra expiata esse. Nisi enim ipse resurrexisset, adhuc essemus in peccatis nostris, 1. Cor. 15. v. 17. ex quo ex adverso consequitur, quod postquam ex mortuis resurrexit, chirographum deleverit, Col. 2. v. 14. & omnia nostra peccata in profundum maris projecit, Mich. 7. v. 19. ubi verò peccatorum remissio, ibi & vita & salus est, Psal. 32. v. 1. 2.

III. *Ex Harmoniâ Scriptura consentientis.* Hic Christum ad scripta Prophetarum se referre, audimus, quando ait: Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de Filio hominis. Quo respicit

I. *Ad Umbracula*

1. *Variorum typorum.* Qualis fuit Adam, cui Deus soporem immisit, cum que obdormivisset, tulit unam de costis ejus & replevit carnem pro eâ, Gen. 2. v. 21. quo indicatum est, quod Christo, qui expressè secundus Adam vocatur, Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 15. v. 45. postquam in arâ etucis obdormivit, latus aperiendum, & ex aquâ & sanguine, quæ inde emanarunt, mulier Sole amicta, h. e. Ecclesia propaganda & conservanda sit.

Tales quoque typi fuerunt, Abel à fratre occisus, Gen. 4. v. 8. Isaac à patre immolatus, Gen. 22. v. 13. Josephus à fratribus venditus, Gen. 37. v. 23. seqq. Aaron stans inter mortuos & viventes, & populū Deo reconcilians, Num. 16. v. 48. Hircus emissarius, cui peccata totius populi imposita, Lev. 16. v. 21. seqq. serpens æneus, Num. 21. v. 8. Jolua Istrahtas in Palæstinam introdu-

cens, Jol. 3. v. 17. David Goliathum prosterrens, 1. Sam. 17. 49. seq. Simson, Jud. 14. 15.

2. *Variorum Sacrificiorum,* quæ itidem Christum, semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis traditum, præfigurant, Eph. 5. v. 2.

Sicut igitur Sacrificia super triplici altari, in V. T. oblata sunt: quorum primum factum de terrâ, pro holocaustis, & retributoriis, Exod. 20. v. 24. Alterum lapideum, etiam pro holocaustis, ib. v. 25. Deut. 17. v. 5. Tertium de ligno, in quo thymiama manè & vesperi erat adolendum, Exod. 30. v. 1. seqq. Ita & Christus se pro nobis immolavit:

1. *In arâ terrâ,* nempe in horto Oliveti, ubi cum morte luctans, sudorem sanguineum emisit, Matth. 26. v. 39. Luc. 22. v. 42.

2. *In arâ lapidea,* nempe in loco, qui dicitur Gabbatha, Joh. 19. v. 13. ubi à militibus vestibus exutus, flagellatus, spinis coronatus, consputus & illusus est.

3. *In arâ lignea,* h. e. in cruce, ubi thymiama orationis adolevit, & velut verus Mediator Dei & hominum, nec non Pontifex N. T. lapsum genus humanum Patri suo cœlesti expiavit, Hebr. 5. v. 10. Hebr. 10. v. 14.

2. *Ad oracula,* quorum in V. T. passim multa inveniuntur: Spiritus quippe Christi, qui in Prophetis fuit, prænunciavit, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias, 1. Petr. 1. v. 11. Talia sunt: de benedicto semine mulieris, contrituro caput serpentis, Gen. 3. v. 15. De SILEO, lavaturo in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum, Gen. 49. v. 11.

Imprimis Platerium ferax est horum Vaticiniorum. Ps. 2. prædicitur consilium

san-

sanguineum quod Judæi adversus Christum inierunt, Act. 4. v. 25. In Psal. 8. de exinanitione ejus agitur, coll. cum Hebr. 2. v. 6. In 16. de morte ejus, Collat. Actor. 2. v. 31. c. 13. v. 35. In 22. de illusionem & crucifixione ejus, nec non vestimentorum partitione, Matth. 27. v. 35. Joh. 19. v. 24. In 31. de ultimo Christi verbo, Luc. 23. v. 46. In 41. de proditore Judâ, Matth. 26. v. 24. Marc. 14. v. 10. Luc. 22. v. 4. Joh. 13. v. 18. In 69. v. 23. de fellis potione, Matth. 27. v. 48.

Plura vide, Esa. 53. v. 1. seqq. c. 63. Dan. 9. v. 26. Zach. 11. v. 12. & passim.

Hæc omnia ad confirmationem fidei nobis inserviant, ut credamus, Jesum esse Christum, promissum mundi Messiam, & credentes vitam habeamus æternam, Ioh. 20. v. 31.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quam tribus includimus Regulis, quarum

I. *Passionem Christi considera.* Cujus animam Christus ipse in Evangelio nobis subministrat, quando discipulis particulatim enarrat, quid sibi Hierosolymis obventurum sit, quo ipso nos ad sedulam passionis suæ meditationem excitaturus est.

Quando igitur Ahalverus in Annalibus, Esther 6. v. 1. Alphonsus in M. Curtio, alii in Amadiso oblectant se, nos Passionis Dominicæ historiam, à quatuor Evangelistis conscriptam, sedulo evolvamur. Est enim

I. *Liber historiarum*, in quâ præcipua historia describitur, qualis ab orbe condito non facta est. Tam in prophanis quàm Ecclesiasticis Historiis multas quidem præclaras res gestas legimus, quæ nos in

admirationem rapiunt, Vide Gen. 14. v. 15. Iud. 15. v. 15. 1. Sam. 17. v. 49. 2. Sam. 23. v. 18.

Sed Satanam quempiam superasse, mortem in victoriam absorpsisse, atque captivitatem captivasse, & cælum per peccata oppellulatum aperuisse, id in nullis Annalibus invenies. Christus enim solus est Vir Dominus, Gen. 4. v. 1. qui hæc omnia præstitit: extrâ eum nulla est salus, Act. 4. v. 12.

In hoc libro exemplum devotè orandi, Matth. 26. vers. 39. Inimicis ignoscendi, 1. Petr. 2. v. 23. Rom. 12. v. 19. È calamitatibus eluctandi, & beatè moriendi nobis proponitur, Ioh. 5. v. 24.

2. *Liber doctrinarum*, in quo videmus, quomodo cælestis Pater in nos affectus sit. Quia enim proprio Filio suo non percipit, sed pro nobis omnibus tradidit illū quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom. 8. v. 32. Cernimus ardentissimum Christi in nos amorem. Majorem enim dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat, pro amicis suis, Iohan. 15. v. 13. Iam verò pro nobis mortuus est, cum adhuc peccatores & inimici ejus fuimus, Rom. 5. v. 8. caritatem itaque ejus ardentissimam ergà nos esse, necesse est, Ier. 31. v. 3. Conspicimus quoque mundi sceditatem in oculis Dei. Quamobrem enim Christus illa omnia sustinuit? Ob peccata nostra: Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, Esa. 53. v. 6. Hinc Bernardus: Sine flagello non exivit, qui sine peccato venit: quomodo igitur flagello digni non erunt, qui in peccatis vivunt.

Ideò quilibet se examinet & perpendat, si iudicium incipiat à domo Dei, quis finis eorum futurus sit, qui non credunt Dei Evangelio, 1. Petr. 4. v. 17.

3. *Liber Medelarum.* Et si enim tota Scriptura ideò scripta est, ut per patientiam & consolationem eius spem habeamus, Roman. 15. v. 4. attamen præcipuum solatium ex passione Christi haurire possumus. Ibi invenimus solatium contra iram Dei, Rom. 5. v. 10. contra maledictionem legis, Gal. 3. v. 13. contra peccata, Col. 2. v. 14. contra mortem & Diabolum, Hebr. 2. v. 14. 15. contra infernum & damnationem, Rom. 8. v. 1. Of. 13. v. 14.

II. *Instantè ora.* Id Bartimæus fecit: Ubi enim Christum venire audit, sonorâ voce clamat: Jesu Fili David, miserere mei! Et quamvis essent, qui eum increpabant, ut taceret, ipse multò magis clamavit: Fili David, miserere mei.

Imitemur nos hoc ejusexemplum. Multa Christiano precaturo obstacula à Diabolo objiciuntur. Modò preces non necessarias esse inspiratiis, multi enim plane non oraverunt, & tentarunt Deum, & salvi facti sunt, Mal. 3. v. 15. modò indignitatem objicit, puræ enim manus levandæ sunt, 1. Tim. 2. v. 8. Joh. 9. v. 31. modò impatientiam excitat, ut media prohibita arripiant, circa salutem naufragantes, 1. Timoth. 1. v. 19.

Per hæc offendicula etiam Sancti quandoque lapsi sunt. Exempla sunt Habacuc, Hab. 1. v. 2. David, Psal. 88. v. 5. Assaph, Psal. 73. v. 12. seqq.

Verum seponamus has cogitationes. Deus enim parens noster est, qui omnia in filiorum salutem dirigit, neminem patiens

tentari, super id, quod potest, 1. Corinthe. 10. v. 13.

Licet igitur quandoque auxilium suum longius differat, non tamen propterea impatienti animo nos exhibeamus, sed multò ardentius oremus. Ideò enim non vult DEUS citò dare, ut tu discas ardentius orare, Augustino dicente: tandem conturbantur viscera ejus, ut miserans misereatur nostrum, Jer. 31. v. 20. Respicite nationes hominum & scitote, Sirach. 2. v. 13.

Moses per orationem Amaleckitas vicit, Exod. 17. v. 11. Hanna fecunditatem impetravit, 1. Sam. 1. v. 20. Samuel fragores tonitruum, quibus Philistiim exterruit, 1. Sam. 7. v. 10. Salomo sapientiam, divitias & gloriam, 1. Reg. 3. v. 13. Elias cælum clausit & reclusit, Jac. 5. v. 17. 18. Hiskias vitam prolongavit, Esa. 38. v. 5. Jonas è ventre ceteluctavit, Jon. 2. v. 11.

In omnibus igitur adversitatibus adorationem, tanquam ad sacram anchoram & asylum confugiamus. Multum enim valet deprecatio Justii assidua, Jac. 5. v. 16.

III. *Gratum te prestat.* Hoc quoque Bartimæus fecit. Sequutus enim est Christum, magnificans Deum, & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Idipsum nostrum quoque debitum requirit. Non enim modò ad imaginem suam nos creavit, Gen. 1. v. 27. sed & tantis beneficiis nos cumulat, ut misericordiam ejus non enarrare valeamus, Sir. 18. v. 4.

Quod si verò laudis Sacrificium Deo gratum esse debeat, fiat oportet

Dominica Quinquagesima.

1. *Vocaliter.* Etsi enim Deus cordium scrutator est, 1. Reg. 8. v. 39. cui gemitus nostri non absconditi, Psal. 38. v. 10. attamen ex abundantia cordis os loquitur, Matt. 12. v. 34. Nisi itaque morbo aut alio obstaculo prohibeamur, Deo Canticum cantemus, ut Debora, Jud. 5. v. 16. Hanna, 1. Sam. 2. v. 1. Judith, Jud. 16. v. 1. seqq. B. Maria, Luc. 1. v. 47. aliique fecerunt. Id placebit Deo super juvenum, cornua producentem & ungulas, Pl. 69. v. 32.

2. *Cordialiter,* ne queratur Deus: Appropinquat mihi hic populus ore suo & labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me, Matth. 15. v. 9.

In V. T. omne primogenitum, de hominibus & jumentis, Deo sanctificandum fuit, Exod. 13. v. 2.

Hoc ipso respexit Deus ad cor, quod primum vivens & ultimum moriens est, ut Aristoteles ait, ideoque nunquam a DEI cultu separandum est. Hinc ipse ait: Da mihi fili cor tuum, Prov. 23. v. 26.

Non vox, sed votum, non Musica chordula, sed cor:

Non clamor, sed amor clangit in aure Dei.

Dicigitur animæ tuæ; Benedic anima mea

Domino, Psal. 103. v. 1. seqq. Pl. 147. v. 1. Pl. 69. v. 32.

3. *Realiter.* In hoc enim clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, inquit Servator, Joh. 15. v. 8.

Jacobus ex Mesopotamia remeans adscendebat Bethel, faciens Deo in *τεκμήγιον* gratitudinis altare, quod ab eo tam potēter protectus fuerat, ante vero Reformatione inita, Deos alienos domo sua exterminabat, Gen. 35. v. 1. seqq.

Sic & nos abrogemus, quæ variis peccatis contra Deum ejusque verbum admisimus, omnia enim peccata Dei alieni sunt, quibus sanctissimum Numen offendimus: ex adverso vero temperanter, justè & sobriè vivamus in hoc seculo, Tit. 2. v. 22.

Hoc ipso alii excitantur, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est, Matth. 5. v. 16. Ut enim pruna carbonem incendit, sic Christianus Christianum, ut exemplo sociorum Danielis pater, Dan. 3. v. 16. seqq. Hinc Jacob. 5. v. 19. 20. Tandem in vita æterna omnes conveniemus, & Alleluja, quod hic inchoavimus in gradu excellentiori continuabimus: qui enim habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te, Psal. 84. v. 8. Id quod fiat per & propter Christum, Amen.